



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

44. de potentia peccandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

finierit hanc vitam: quoniam de quo eunque  
pessimo in hac vita cōstituto non est despe-  
randum: nec pro illo imprudenter oratur,  
de quo nō desperatur: vnde illud Ioan. Non  
pro eo dico ut quis oret, sic accipiendo vide-  
tur, vt pro aliquo peccante ad mortem, vel  
in Spir. sanctum, postquam finierit hanc vi-  
tam, non oremus. De nullo enim desperan-  
dum est, quandiu ad pœnitentiam patientia  
Dei adducit.

### DE POTENTIA peccandi.

DISTINCT. Quadragesimæ quartæ  
CAP. Vnicum.

*Potentia peccandi à Deo est.*

*Ro.13.* **A** It enim Apost. Non est potestas nisi à  
Deo. Quod non de potestate boni tan-  
tum (vt quidam dixerunt) sed & mali  
*Ioā.19* intelligi oportet: cùm Pilato etiam Veritas  
dicat, Non haberes in me ullam potesta-  
tem, nisi datum esset tibi desuper. **M**alitia  
nempe hominum (vt ait August.) cupidita-  
tem nocendi per se habet: potestatem autem  
si ille non dat, non habet. Ideoque Dia-  
*Iob.1.* bolus antequām aliquid tolleret Iob, dice-  
bat Domino: Mitte manum tuam, id est da  
*Pro.8.* potestatem. quia etiā nocentiū potestas non  
est nisi à Deo. Sicut Sapientia ait, Per me

E P I T O M E

reges regnant, & tyranni per me terram te-  
nent. Vnde Job de Domino ait, Qui facit Job.34.  
regnare hypocritam propter peccata popu-  
li. Et de populo Israel dicit Deus, Dedi eis  
regem in ira mea. Nocendi enim voluntas Osa.  
potest esse ab homine, potestas autem non 13.  
est nisi à Deo. & hoc abdita aptaque iusti-  
tia. Nam per potestatem Diabolo datam  
iustos Deus facit suos. Sed dubitatur si po-  
testas mali sit à Deo, & non erit resisten-  
dum, quia dicit Apost. Qui potestati resi- R.13.  
stit, Dei ordinationi resistit. Cùm ergo Dia-  
boli sit potestas mali, Dei ordinatione, eius  
potestati non erit resistendum. Sed scien-  
dum est Apost. ibi loqui de potestate secul-  
ari, scil. rege & principe & huiusmodi, qui-  
bus non est resistendum in his quæ iubet  
Deus ex his exhiberi: sicut in tributis. Si ve-  
rò princeps vel Diabolus aliquid iussicerit  
vel suaserit contra Deum, tunc resisten-  
dum erit. art. 4. 1.

Explicit Epitome in secundum lib.  
Sentent. Mag. Petri Lombardi.